

De restitutione

Nomine Dei. quod si quis eligens peccatum mortale superiori referatum malitiose hac intentione vtendi priuilegio, & indulgentia concessa super tali peccato; priuilegium tale sibi minime suffragatur, huiusmodi enim priuilegia non sunt concessa vt peccatores in suis peccatis foueantur; sed vt peccata iam commissa medicentur, & vt quo fieri potest eis remedium præstetur, vnde præfatus Pontifex ait.

*Priuilegiū
Bullæ quā
do non su-
uat.*

Qui Bullam aliquam, aut diploma susciperet, vbi conceditur facultas, vt absolui possit a casibus referuatis, hac intentione, vt suo modo delinquere possit, circa dicta facinosa referuata, & vt difficultatem penitentiarios querendi, vel Romam adeundi, non habeat (qua difficultate concepta, sæpe homines a voluntate peccandi arcantur) hic in sua praua opinione decipitur, & priuilegium Bullæ nihil ei prodesse fatemur.

Sed dices ad quid igitur priuilegium Bullæ valebit, si omnes hac intentione bullam suscipiunt? Respondeo, hoc minime verum esse; multi enim sunt, qui tanquam deuoti, Deum mortaliter non offendere student, veruntamen perspicientes suam fragilitatem, se de continentia peccandi, securos non reddunt; vnde bullam suscipiunt, aliquo respectu, ut si forte aliquo infortunio, aut fragilitate, contra aliquod referuatum delinquerent, eo uti possint, & hac intentione eis iuuat. Et vt magis super hoc vobis satisfaciam, mihi visum est in huius doctrinæ fauorem, eadem verba Bullæ Pij 4. super huiusmodi emanata adducere.

Cum Summus Pontifex prædictus, omnes gratias, & indulgentias, & priuilegia, quæ a confratribus societatis Nominis Dei lucrantur prænarrauerit, nec non facultatem de eligendo sibi confesso remidoneum, qui a casibus referuatis, vt in dicta Bulla fertur, absolueri possint, subiungit, dicens.

Volumus autem ne confratres ipsi, quod absit, propter huiusmodi gratiam reddantur procliuiores ad illicita committenda; quod cum a sinceritate fidei, & vnitæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, & deuotione nostri, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium dissiterint gratia, & literæ, quo ad eligendum huiusmodi illis nullatenus suffragentur. Datum Romæ. cc. Quæ omnia a Pio V. & Gregorio XIII. confirmata sunt, vt in dicta Bulla est videre.

Concludamus ergo, sanctos patres de huiusmodi regulis, immunitatibus, & exemptionibus loquentes, non vt doceantur, & prædicentur, sed vt penitentes non desperent, dum sunt pauperes; & vt confessarii cognoscentes statum, conditionem, & qualitatem poenitentium ad restitutionem obligatorum, nec non etiam animi promptitudinem in soluendo, liberè absolueri possint, ac eos monere, quomodo cum creditoribus se gerere debent, tractauerunt; & nos vobis tradimus, & non aliter.

**Dubium
Pulcrum.*

Dubitatur hic si debēs restituere, potest statim, & simul omnia restituere, & non vult nisi paulatim & successiue inuito domino sit ne absolendus? Respondetur quod non, quia semper est in peccato mortali, dum potest, & non vult, & ratio est, quia nullatenus habens facultatem restituendi, potest inuito domino alienum retinere. Et si confessor aduerteret nunquam penitentem satisfacturū, nisi hoc modo, debet ne eum absolueri? Dicit quod non, quia non est cōtritus. Verum si poenitens habet iustas excusationes differendi restitutionem, & appareat vir timoræ conscientie, tunc confessor potest eum absolueri, non enim nimis rigorosus esse debet. Et si creditor non vult expectare, & nihilominus poenitens induci non potest ad restituendum statim, cum possit, nisi ad tempus; quod agendum? Dicit silu. Verbo Rest. 5. §. 5. sufficit vt confessor faciat eum obligare, & sic eum absoluat, quia hoc modo negotium creditoris vtiliter gerens in tuto ponit.